

Esaiae sermo, ita vt plurima fere vocabula figurate accipienda sint; nihilominus tamen sensus & implementum huius prophetiae ad oculum demonstrari possunt. Ille praeco, qui Domino Messiae, qui Deo inter Iudaeos manifestando, animos Iudaeorum praeparare debebat, comparatur cum praefecto parandae viae in deserto ac locis deuuis. Quemadmodum ille monstrat, quae, in complanandis viis, aspera & inaequalia viarum diligenter aequanda sunt, ita vt profundiores lacunae terra oppleantur, & montes ac colles, quorum nimis praeruptus foret ascensus, deiiciantur, obliquae viae ad rectissimam dirigantur; sic etiam Iohannes ex cura praeparandi animos Iudaeorum ad cognitionem Domini, seu ad doctrinam Messiae recipiendam, fidelis erat *ὁδοποιῶν* praeparator viae Messiae. Inueniebat autem deperditum populi Iudaici statum, vt propter cognitionis & sapientiae spiritalis sterilitatem, deserto assimilandus esset. Vt desertum saxis rupibusque inaccessum, & planities, siue propter arenas, siue propter paludes inhabitabilis, nullam praebet viam, sic Iudaeorum animi ad recipiendum Messiam inueniebantur inepti. Quare clamat Iohannes in hoc deserto: parate viam Domino. In vestra bonorum fructuum sterilitate, & morum feritate similes estis deserto saxis rupibusque inaccessis, & planities propter paludes imperuiae. Magna itaque animorum immutatione opus est per poenitentiam. Per hanc aperite Domino in animis vestris viam, per hanc remouete cuncta obstantia, quae gratiosum Dominum aduentum praeccludere possunt. Receptio Messiae per fidem saluificam haud aliter fieri potest, quam vera mentis a Deo auersae immutatione & conuersione. Haec beata mentis mutatio, sub *μετανοίας* nomine, omnibus Iudaeis a Iohanne Baptista seuerissime iniuncta fuit, tanquam complanatio viae Domini.

A docente vero res abibat ad discentes, a Iohanne ad Iudaeos. Non satis erat, quod vox Iohannis explanationem viae Domini docebat, multitudo Iudaeorum omnem etiam operam collocare debuisset ad parandam Domino viam. Hoc docet Iesaias exponendo, quid percepta praecursoris voce, de iure fieri debeat. Iudaeorum est, *vt omnis vallis exaltetur, & montes ac colles se humiliant.* Peccatores, qui nimium abiecti sunt, & spe salutis obtinendae excidere volunt, patiantur se erigi & salu-